

tus dominus episcopus noluerit eligere infra dictum terminum laycum tantum, vel quod sedes vacaret pastore, sive quod episcopus non esset in terra, vel vicarius missus ab episcopo Tergesti, quod tunc eligatur per dictum maius conscilium dictum alterum caniparium per modum ut primum, et potestas cum iudicibus suis, sive rectores qui pro tempore fuerint, predicta servare teneantur. ¶ Qui caniparii stare debeant et teneantur in dicto offitio caniparie per unum annum, et vacare debeant a dicto offitio caniparie predictae ab exitu sui offitii per quinque annos integre completos, nec ipsum offitium possint acceptare infra dictum tempus quinque annorum, sub pena quinquaginta libr. par. pro quolibet contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Et quicumque possit eligi et confirmari caniparius, non obstante aliquod offitium quod habuisset haberet vel habere posset, ac etiam eis vel alteri ipsorum dictum offitium non preiudicet, quin ipso offitio durante aliud offitium habere possint, si fuerint electi et confirmati, ac etiam quodlibet aliud offitium ab exitu sui offitii. ¶ Item facere debeant et teneantur bonam et ydoneam securitatem de bonis per eos receptis tempore eorum offitii et // de servando bona predicta, et de ipsis facere et ostendere rationem comuni Tergesti, et ea bona eis consignata restituere in plenum. ¶ Item bona omnia mobilia et fixa et thesaurium dicte ecclesie facere scribere in inventario, et ea recipere per inventarium. ¶ Et in capite omnium duorum mensium sui offitii facere et reddere debeant et teneantur rationem de omnibus redditibus introitibus et exitibus dicte fabrice suis maioribus, scilicet dominio seculari Tergesti et domino episcopo Tergesti, si exstabit, sub pena centum sold. par. pro quolibet ipsorum et qualibet vice contrafacta, cum ad dictam rationem fiendam fuerint requisiti, et dominium quod pro tempore fuerit teneatur requirere dictos caniparios ad dictam rationem fiendam sacramento. ¶ Item quod ne quis caniparius dicte fabrice modo aliquo vel ingenio, tam in facitumine ecclesie predictae quam etiam aliqua alia causa, audeat vel presumat expendere aliquos denarios dicte fabrice sine scitu vel presentia alterius caniparii eius socii. ¶ Et ipsi caniparii habere debeant duos quaternos, in quibus scribi fatiant